

gat, quae et sequenti, insuper, Paraphrasi illustrare instituit: *Vadam ad portas inferni*, i. e. ad *Limbum Patrum*, qui, cum sit, quasi, in principio inferni, non inepte, *Porta inferni* dicitur, et, hunc infernum CHRISTVS expoliavit, dum animas sanctorum, patrum inde eduxit.“ Hac autem interpretatione, qua *Limbum Patrum*, clarius, depingit, semel supposita, applicationem ad locum nostrum instituens, ita commentatur: Quod nos, *Limbum*, i. e. locum requiei, sive sinum *Abrahae* dicimus, hoc prisca *Ebraeorum* vocarunt צַרְר, *Ligatorium*, instar *Conservatorii gemmarum*, vel pecuniae, quae in sacculo, vel in panno, ligantur et conservantur. Ergo, quod *ABIGAIL* *ventium* *ligatorium* appellavit, id *Iudaeorum Doctoribus* audiebat אֹצֵר, animarum iustorum *Apotheca*, sive, *Cellarium*. At, enim, vero, sublestam plane, et nonnisi ad perversam hypothesein stabiliendam, hanc *Viri Cl.* exegezin esse, haud gravatim, fatebuntur omnes, qui secum reputabunt, quod שְׁאוֹל, durius, ex usu vocis communiter accepto, Latinis *infernum* sonans, *Ebraeis*, proprie, et vere, *statum mortis* designet, adeoque *Portae inferni*, nihil aliud, ex istorum mente, innuant, quam quod in *Odys* sacris, *Pf. IX, 14. CVII, 18.* שַׁעַר מוֹת, *portae mortis*, vel, ut *SIMEON de MUIS (c)* exponit. *sepulchrum*; et, in *Dei oratione*, apud *Iobum*, c. *XXXVIII, 17.* שַׁעַר צְלֵמוֹת, *portae umbrae mortis*, vel *Civitas*, et *terra, silentii*, dicitur. Ipsum, quoque, *Galatini* commentum, insuper, confutat *R. IESCHAJAH*, diserte adstruens, quod, a *Iudaeis*, צַרְר in eo, quem *Monachus Franciscanus* fingit, sensu; nullibi adhibeatur, imo, quod ne נֶפֶשׁ quidem, hic, solam denotet animam, quam, tamen, a corpore separatam, in *Limbo Patrum* asservari, *GALATINVS* asseverabat. Virgeri, porro, hic, poterat, quod *BELLARMINVS (d)* *Limbum Patrum* per *Purgatorium*, poenam damni, et sensus temporalis, repraesentet, atque, adeo, hac hypothesei salva, ne sic quidem, *ABIGAIL*, quippe quae non adversa, sed fausta, *DAVIDI* apprecabatur, ad *Limbum Patrum*, hic, provocasse videri possit. Ceterum, utut *IUDAEORVM* nonnulli idem צַרְר, quod, praeter *GALATINVM*, *MÜNSTERVS* et *CORN. a LAPIDE* referunt, per *solum Maie-*  
B 2
*statis,*

(c) Comment. ad *Pf. CVII, 18.*

(d) *De Purgatorio l. II, c. VI.*